

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 2642

**Auteur(s) :** Gervais Prophéton [particulier]

**Bénéficiaire(s) :** Bellême, Saint-Léonard, dépendance Saint-Martin de Marmoutier (prieuré)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1258, avril

**Action juridique :** donation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Donation par Gervais Prophéton, du consentement de Mathilde, son épouse, et de Guillaume, son fils aîné, à Saint-Léonard-de-Bellême, de quatre boisseaux de terre, sis paroisse de Bellavilliers.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Barret Philibert (Abbé), *Cartulaire de Marmoutier pour le Perche*, Mortagne-au-Perche, Meaux (Documents sur la province du Perche ; 3e série, 2), 1894, n° 147, p. 152-153.

Texte établi d'après a

Ego Gervasius Propheton notum facio universis presentes litteras inspecturis quod, de assensu et voluntate Matildis uxoris mee et Guilelmi primogeniti mei, et omnium aliorum heredum meorum, dedi et concessi Beato Leonardo et priori de Belismo et monachis ejusdem loci, quatuor sextarios terre situs juxta domum meam, ex uno latere, et juxta cheminum per quod itur de Ponte de Maingne apud Bellaviller, prout dividuntur et mete ponuntur, eisdem priori et monachis jure hereditario in perpetuum et puram elemosinam, quiete, pacifice et libere ab omnibus releviis, rachatis, et equo serviciis, coutumis, talliis, auxiliis, redevantiis, exactionibus secularibus et rebus aliis, et serviciis omnibus ad me et ad heredes meos, et ad quos cumque alios quoquomodo pertinentibus, tenendos et habendos et etiam possidendos. Ego etiam Gervasius et Matildis, uxor mea, juravimus quod nos seu heredes nostri in predictis quatuor sextariis terre, racione hereditagii, vel dotis seu alia racione nichil de cetero reclamabimus, nec aliquid per aliquem faciemus reclamare. Immo ego Gervasius et heredes mei predictos quatuor sextarios terre deservire de nostro proprio ab omnibus serviciis predictis adversus nos et adversus dominos nostros tenemur et defendere contra omnes et garantire. Ego etiam Gervasius omnia servicia predicta facienda pro dictis quatuor sextariis terre, posui et retinui super herbergamentum meum et residuum totius terre mee, nec ego nec heredes mei aliquid capere vel capi facere, seu aliquam justitiam vel distrinctum vel exactionem secularem in eisdem quatuor sextariis terre, aut in omnibus ibidem existentibus de cetero exercere, nec easdem quatuor sextarios terre ad manus dominorum nostrorum currere dimittere poterimus. In cujus rei testimonium et munimen ego Gervasius et Matildis uxor mea, predictis priori et monachis dedimus presentes litteras sigillorum nostrorum munimine roboratas, per quas ego Gervasius sepe dictus me et meos heredes obligo ad omnia predicta firmiter imposterum observanda. Actum anno Domini M° CC° Lmo octavo, mense aprilis.